









14260.

1677

34.

10

Q. D. B. V.

DISPUTATIONEM MORALEM,  
DE

**ACTIONE METU  
MAJORIS MALI  
EDITA,**

PRÆSIDE

V I R O

NOBILISSIMO, AMPLISSIMO atq; EXCELLENTISSIMO

DN. CHRISTIANO Röhrenseer/

Moral. Philosoph. Prof. Publ.

longè celeberrimo.

*Publicæ ventilationi submittit*

JOHANNES JACOBUS Etmüller/

Lips.

A. & R.

Ad D. VI. Octobr. ANNO M DC LXXVII.

*In Auditorio Majori.*



WITTEBERGÆ,

Literis JOHANNIS WILCKII.





37

O.D.B.N.  
DISPUTATIONEM MORALEM  
DE

ACTIOMEMENTU  
MAIORIS MALI  
EDITA

TRASIDE

VIR O

MORALEM MAIORIS MALI EXCEPTESSIMO

DR. CHRISTIANO  
Moral Philosph Prof. Publ.

Jonges edel. crimo.

Publica Commissione

JOHANNES JACOBUS GUMPERT

liber.

A. & R.

ALD. VI. O. P. A. N. I. O. M. E. C. L. X. V. I. I.

In Auctione Majori

WILTBAG

WILTBAG

Licitis JOHANNIS WILCKII







I. N. J.

Thes. I.



Omnis Intellectus ad modum torpet, & ignorantia rebellionem luit. Coecutit in divinis titubatur in humanis, & quod tristissimum, se ferme nescit. Non sane insubidum igitur est Socratis assertum: veritatem in abyssis profunditatis latere. Cum tenebris enim luctatur mens humana, easque vix eluctatur: conatur quid animus, sed limina tangit. Non sine negotio nitimur hoc pacto ad sapientiae fastigium, eademque offert sua bona cum gradu difficultatis. Coelum metitur Astronomus oculis, & Telescopia in subsidium vocat: Physicus corpus suum naturale in indivisus palpat. Notiora sine dubio, quae sensibus percipiuntur, & a sensibus remota laborem exigunt.

II.

Ardua hoc nomine Philosophia practica: non sensibus sua negotia subicit, sed recondit adeo, ut nihil agens homo agat: Scrutare voluntatis humanae recessus accurate, & cognosce motus internos humanae solertia, & eris mihi

A 2

mih



mihi magnus Apollo. Soli DEo reservatum, videre à priori eos, & solus Deus illis legem ponit. *Ames. de Consc. Lib. 1. cap. 2. §. 13.* Benè inde commune verbum arcet ab internâ actione hominem: Cogitationis pœnam nemo patitur. Non quod cogitatio nulla sit turpis, & pœnam non mereatur in judicio divino, sed quia occulta & latentia mala non turbant salutem Reip. itaq; de occultis non judicat, nec potest, Majestas. Auget negotium indoles liberrima voluntatis humanæ, quæ eandem liberat à vinculo physico. Ipsæ facultates ad actiones destinatæ inter se turbant, nisi habitus ægrè quodammodo conciliet.

### III.

Incertane igitur sunt omnia in Philosophiâ practica, & contingentia suâ eludunt scrutinium hominis? Videntur id asserere quidam: Aristotelis oracula jactant, non esse objectum Philosophiæ practicæ æternæ veritatis, ut Theoreticæ, actiones à causâ liberrimâ dependere. Rectè attendimus ad monitum *Petri Bertii in Log. perip. in lim. de Phil. p. 32.* Multa vera sunt, quæ in libris Aristotelis non extant: quædam enim ignoravit, quædam non scripsit, sed vivâ voce auditoribus tradidit; quædam scripsit, sed interciderunt. Iniquum ergo est, dicere, id verum non esse, quod in Aristotele non legitur. Addimus, superstitiosè & falsò quandoq; explicari Aristotelem. Sine religione igitur statuimus, certum esse objectum Philosophiæ Practicæ & æternæ veritatis. Enimvero præterquam quod prorsus absurdum videtur, hominibus certam scientiam circa illa, quæ opere exprimenda per Autoritatem Creatoris ipsis fuere injuncta, cum tamen perspicuè liceat cognoscere, quæ impunè ignorantur &c. *Pufend. in Præfat. Elem. Jpr. univers.* Æternæ veritatis dicimus, nam & verum est id, quod



quod accuratè bonum & justum est sive æquum : quod solide in *Disp. de æquitate probavit Job. Frid. Hornejus tb.3. ex Cicer. Livio, Virgilio &c. cui add. Tacitus Lib.1. Annal. cap.75.* Sed dum veritati consulitur, libertas consumebatur addatur. *Rom.1. vers.15.* quod Meisnerus de *LL. Lib. 3. quest.1. p.m.133. No.2.* explicat, si per veritatis captivacionem intelligitur suppressio naturalium stimulorum, quibus Gentiles bonum à turpi discernunt, & ad honestas actiones sollicitantur; tùm utiq; Apostolus de nuda *γνώσις*, ex operibus creationis collecta non loquetur: quoniam aliud est notitia collecta, & aliud, boni discretio stimuliq; naturales. Æternæ verò, quia norma objecti Philosoph. Pract. est pars æternæ Legis *conf. Gvil. Grot. in Encbir. de princ. Juris N. cap.1. §.8.* Confundere videntur contrariæ sententiæ auctores existentiam & essentiam. Keckermann. in *pracogn. Philosoph. Lib.1. cap.2. pag.m. 29.* Necessarias res vocamus eas, quæ nullà humanà vel prudentià vel arte produci possunt, atque adeò, in quas homo nihil habet vel virium ad generandum, vel virtutis ad mutandum. Sic res necessariae sunt Cœlum, stellæ, Elementa, quia nulla humanà virtute ejusmodi res producuntur aut mutantur, sed res necessariae sunt, sive id homo velit, sive nolit &c. Res vero contingentes sunt, quæ pendent à voluntate & industrià hominis, ut possit eas vel producere vel non producere, ut sunt actiones virtutum & vitiorum &c. paria profert Golius in *Epitom. Doctr. moral. Lib.6. cap.3.* Nequeat Philosophus practicus demonstrare per principia innata practica. Cæcum furari velle aut latrocinari. Nequeat probare, Alexandrum victurum Darium; probabit tamen, quî furatur, peccat contra principium infallibiliter verum & quod aliter se habere



nequit: Suum cuiq; esse tribuendum. Potest exactè probare non apparatu magnifico esse opus hostem oppugnatur & Darium malè pecuniam & mulierum, calorum & lixarum molem trahere ad pugnae spectaculum. Non purpuræ non auro cedit virtus, robore opus est. Non ad Philosoph. Pract. spectat contingencia furti: contingentium enim in causando sive producendo non datur scientia. Sufficit scire quod omnis, sive sit Titius sive Mævius debeat agere virtuosè & sine violatione juris N. non posse omittere. Norma est certissima & hæc curæ est Philosopho practico. Physica videtur notitia, scire voluntatis arbitrium: ea enim exponit facultates animæ in actu signato: præsupponit hæc moralis Doctor.

#### IV.

Certa igitur sunt negotia moralia per certam & infallibilem normam. Imo nexum necessarium sancivit natura moralis inter facta ut liceat ex uno colligere alterum. Per finem manifestum manifestamus media ad finem destinata & media viam aperiunt ad finem *Pufend. de Jur. N. & G. Lib. 5. cap. 12.* varios modos cognoscendi obscure declaratam voluntatem tradit. Neque ex factis tantum cognoscitur, sed & non factis in physico sensu: nam aliàs actuum voluntatis, quamdiu signis non manifestantur, nullus inter homines invicem effectus esse potest. *Pufend. in Elem. J. pr. univers. Lib. 1. def. 12. § 35.* Signum quoque edere videtur consensus, qui tacet consentire videtur: Quod commune non unam exigit cautionem. Tacere per suam naturam ordinatur neque ad consensum neque ad dissensum. Hinc si talis actus edendus, qui neque expressè requirit voluntatem nec contradictionem,

nem,



nem, neque consensum neque dissensum indicat; sin-  
verò indoles actionis alterutrum requirat, tunc ex con-  
tumacia non respondens præsumitur in præjudicium, vel  
assentire vel contradicere. Non verò contumaciter ta-  
cens modo non habetur pro consentiente, modo habe-  
tur, prout actus in vito tacente potest expediri aut non.

V.

Expedit igitur scire signa ordinata ad voluntatem  
manifestandam. Adhibendæ sunt prudentiæ Regulæ &  
attendendum quo vinculo teneatur voluntas hominis.  
Quæ admodum vaga in physica sua natura, ut neque ver-  
ba neque facta genuinè testentur de ejusdem decreto. Sed  
si spectes eandem refrenatam sanctitate morali accura-  
tam indagacionem non fallit: quæ non exiguam pruden-  
tiæ partem constituit, & quam salus societatum postulat.  
Honestas enim à turpibus distinguenda, spontanea ab in-  
vitis ut de principio actionis constet & qualitas ejusdem  
non lateat, ne præmiis invitetur fallax malitia aut poena  
maneant simplicitatem in noxiam. Ad quam summam non  
sanè omnes pervenerunt; quia pauci prudentiâ honesta  
à deterioribus, utilia à noxiis discernunt. *Tacit. Annal.*  
*Lib. 4. cap. 33.* Neque satis habent Ethici cognoscere na-  
turam spontaneæ, & in vitæ actionis, sed ex iis principiis  
miscet aliam, quæ non sine tricis; delibanda tamen cum  
Numine erit.

VI.

Pugnant quandoq; res inter se & adversam fovent  
naturam. Ignem extingvit aqua & aquæ nativa frigidi-  
tas



tas vincitur calore. Componunt iterum litem & se mutuo amplectuntur, ut inde mistum oriatur. Tepida aqua exemplo sit. Quælibet qualitas hostile remittit ingenium & æquales utriusque videntur vires. Gradus tamen sunt missionis & non raro dominatur alterutra. Quod dominium si unius tantum, altera qualitas nisi naturalis subjecto, exagitur penitus & nulla tunc mistio.

## VII.

Spontaneum & Invitum, quales reddere actiones humanas, perspicuum: nec carent inimicitia. Impulsus enim appetitum naturaliter negat violentia & scientia circumstantiarum specificantium ignorantia tollit. An redire possint in gratiam & mistam facere actionem, disceptatur. *Golius in Epitom. Doctr. moral. Lib. 3. cap. 1.* cum Aristotele ait; posse nominari actiones mixtas, quia sunt partim voluntariæ partim invitæ. *Piccolomineus in Univers. Philosoph. de Moribus. Grad. 2 cap. 13.* Brevibus, ait, & expedite cum Aristotele dico, agere aliquid sponte dupliciter contingere, vel absolute vel pro aliquo tempore, occasione & conditione. Alii violentum subdividunt in simpliciter tale & secundum quid, & ad hoc referunt mixtam actionem. *Pufend. de Jur. N. & Gent. Lib. 1. cap. 4. §. 9.* non distat à Golii sive Aristotelis sententia. *Hieron. Prætorius in Theatro Ethic. part. 2. sect. 1. in princ.* videtur referre ad violentum *natura* sed subdit; accuratè tamen loquendo hos & similes casus in sese consideratos voluntarios esse existimamus: Omnibus enim consideratis circumstantiis movent voluntatem ut libere eligat minus malum.

## VIII. Quo-



## VIII.

Quomodo igitur Mistio fiat scire lubet. Piccolomineus cit. loc. præter citata verba probat, mixtam actionem esse spontaneam pro tunc: Hæc procul dubio cum absolutè sint mala, cognoscantur ut mala, non absolutè fiunt spontè: cum tamen sint minus mala illis, quæ per hæc vitantur, & minus malum cum deteriore comparatum, obtineat vicem boni, jure dicuntur bona pro tunc & pro ea occasione. In quibus considerandum est, quod dum à nobis præeliguntur, & fiunt, non ea sunt fines actionis, seu ut potius, cujus gratia præeliguntur &c. Sed vereor ne Piccolomineus merè spontaneam reddat mixtam: quamdiu enim bonum adest, impellitur quoque appetitus neque adimitur scientia circumstantiarum: Ergò tamdiu est spontanea, & non variato respectu & circumstantiis quæ informant actionem, nihil adest mali aut violenti. Neque adest remissio qualitatum contrariarum: quia invitum ut tale nequaquam adest nec ullas habet vires, sed dominium obtinet spontaneum. Omne enim objectum in totum est appetibile, nullum averfabile retentis omnibus circumstantiis.

## IX.

Nec illi videntur rem acu tangere, qui ad violentum secundum quid referunt mixtam actionem, & secundum quid ad spontaneum. Rem ita probant, quia casus dantur in quo quis metu majoris mali evitandi & spe majoris boni consequendi & alia necessitate urgente movetur ad aliquid suscipiendum & agendum, quod aliàs nunquam faceret. Addunt exempla: mercator ad evitandum periculum merces suas projicit in mare & viator latronibus pro vitâ redimenda certam pecuniæ summam

B

solvi.



solvit. Hinc oriri tertiam humanarum actionum classem, quæ mixtæ appellantur: quia partim voluntariæ sunt partim invita. Hæ considerantur vel simpliciter vel respectu circumstantiarum. Priori modo magis invitæ dicuntur quam voluntariæ: has enim nemo sua sponte susciperet, si voluntas hujus esset libera. Sic qui sanæ mentis est, res suas, nisi summa urgeat necessitas, nunquam abjicit, aut semetipsum voluntario aliquo afficit malo. Posteriori modo magis sunt voluntariæ. I. Quia harum actionum fines & circumstantiæ sunt in nostra electione, datur namq; agenti optio, ut alterutrum eligat faciatq;. II. Quia principium, unde motus oritur est in agente. III. Quia propter ejusmodi actiones interdum possumus laudari & excusari nonnunquam & reprehendi.

X.

Licet hæc sit doctrina communis: tamen dubio non videtur carere. Non negamus quidem casum dari in quibus quis metu majoris mali & spe majoris boni &c. movetur. Sed an possit actio una eademq; considerari diversarum circumstantiarum respectu & sic mixtio existere, subsisto. Circumstantiæ enim specificant actiones & pro varietate circumstantiarum variatur actio: Ergo & denominant, & quæ actio habet circa se circumstantias objectum reddentes bonum, sistitur spontanea: sin reddant malum, adest invita. Actionem verò considerare velle extra circumstantias, est rem sine formâ suâ contemplari & sub formâ alienâ. Haud dubiè Mercator extra periculum constitutus non jactabit merces: Sed extra periculum constitutus aliæ videntur circumstantiæ, quæ jacturam mercium non probant & appetibilem reddunt;

Via-



Viator extra metum mortis non daret latroni pecuniam.  
Nam aliæ sunt circumstantiæ sub quibus considerata actio  
planè alia est. Quæritur verò hic non, an in hac actione  
possit esse invitum in aliâ spontaneum: Sed an una ea-  
demq; actio sub temperamento possit utramq; accipere  
qualitatem. Quæ sententiæ videtur esse Prætorii in th. VII.

XI.

Hæc dubium possunt reddere animum. Sed verbis,  
quorum valor ex usu pendet, non superstitiosè inhæren-  
dum. Sufficiat igitur scire, quod dentur actiones, quæ  
aliquid spontanei & inviti habent & propterea dicantur  
mixtæ. Nam in quacunq; actione quædam fiunt con-  
tra naturalem inclinationem appetitus, quædam secun-  
dum illam, ibi est aliquid inviti, aliquid quoque sponta-  
nei. At datur ejusmodi actio. Occurrit sanè quoddam  
objectum appetibile simul & averfabile; inde communi-  
ter circumfertur: Ex duobus malis minus est eligendum.  
Cave tamen ne malum morale intelligas. Rectè igitur  
*Pufend. cit. loc. cap. 4. Lib. 1. §. 9. in fin.* Ubi tamen, ait, ne-  
scio an in Episcopo cum primis Christiano probari pos-  
sit, quod is actionis mixtæ exemplum tale proferat; rem  
habere cum alienâ uxore turpe cum sit, efficitur non tur-  
pe, si interficiendi tyranni causa fiat. Nam non sunt fa-  
cienda mala, ut eveniât bona; & ad bonam actionem præ-  
ter finem bonum media exiguntur, ejusdem generis: ne-  
que turpia sunt possibilea homini in sensu morali. Mala  
potius hic explica de damnosis, quæ nequeunt evitari. Li-  
cet enim nullum damnum in se sit appetibile, fit tamen  
tale comparatum cum alio majori, præstat sentire minus  
B 2 quam



quam majus malum: quia tendit in adeptionem & con-  
servationem majoris boni. Sic incidit quis in latrones, è  
quorum manibus potest evadere abjectâ magnâ, quam  
portat, pecuniæ summâ ut fiat expeditior: perdere pecu-  
niam, si absolutè consideres, parum gratum parum appe-  
tibile est. Sed confer cum conservatione vitæ, pecuni-  
am reparabilem cum irreparabili bono: faciliorem illius  
quam hujus invenies jacturam. Ratione igitur medii est  
invitum, ratione finis est spontaneum. Ubi tamen cau-  
tio adhibenda, ne in comparatione respicias, si velis co-  
gnoscere mixtam actionem, media: Sic enim futurum, ut  
& media spontè adhibita putares. Qui vult finem, velit  
etiam media ad finem necessaria, secundum prudentiæ  
regulas est firmisimum argumentum. Qui autem vult  
media propter finem, ille agit principii intrinseci impul-  
su & spontè. Specta potius extra comparationem, & re-  
spectum ad finem & invitum esse ob objectum averfabi-  
le facile colliges ex naturali averfatione directâ adversus  
objectum ingratum & damnosum.

XII.

Mistio igitur hic est contrariarum qualitatuum, quæ  
surgunt ex contrariis principiis: spontaneo & invito.  
Contraria autem sunt mediata, quia medium admittunt  
*natura usque ad conf. Saurius Syntagm. Logic. lib. 1. Sect. 3. cap. 2.  
prac. V.* Duo semper occurrunt appetitus in expositis ca-  
sibus, unus abhorret, alter appetit, uterq; naturalis est:  
natura enim dedit homini abhorrendi vim à damnosis:  
damno itaq; præsentis objecto refugit. Natura quoque  
adigit ad evitanda majora mala. In mistis actionibus  
hic



hic vincit & ille vincitur. Ex quo fit, ut Hornejus in *Philosoph. moral. lib. 3. cap. 4. No. XI.* has actiones magis esse spontaneas quam invitas cum philosopho censeat: imo spontaneas simpliciter violentas secundum quid. Quam sententiam probat & Piccolomineus *dict. loc. in fin. c. 13.*

XIII.

Idem dubio Th. X. videtur satis facere: Sciendum est cum actus omnes versentur circa singularia, aestimari eos præcipuè ex circumstantiis, ut talis simpliciter quisque sit, qualis est in re ipsa, secundum quid autem, prout à nobis subcerta conditione esse cogitatur &c.

XIV.

Quæ explicatio harum actionum, & quod mixtam habeant naturam approbatur à Jctis Romanis. Itaque accuratè distinguunt inter intentionem abjicientis, quæ non est ut res habere nolit; hoc enim violentum & contra appetitum naturalem: sed ut maris periculum effugiat Cajus *L. 9. §. 8. ff. de A.R.D.* quod spontaneum sit secundum Regulas rectæ rationis *L. 8. ff. de L. Rhod. de jact.* Si verò jactans merces non deponat spem & appetitum retinendi dominium rerum jactarum: utique non tantum in vitus abjecit, sed etiam alii inveniētes non sine crimine sibi rapiunt. At potest casus esse, quo jactans deponere cogatur spem recuperandi, respiciens ad maris & mercium indolem.

XV.

Magna verò vis datur mixtarum actionum, neque inter fluctus modo eduntur neque latronum tantum violenten-



lencia exprimit. Golius *cit:loc:pag:m.97.* classes constituit,  
IV. I. In primâ sunt actiones mixtæ, quæ merentur  
laudem: quando propter magnum aliquod bonum con-  
sequendum in decorum quippiam attamen sine scelere  
admittimus; citat Solonis & Zopyri exemplum.  
II. Quæ merentur reprehensionem: quando exigui ali-  
cujus commodi gratia, turpe aliquid admittimus, ut Esau.  
&c.  
III. Quæ merentur excusationem & veniam, quando in-  
decorum aliquid admittimus gravissimis de causis impul-  
si, quas contemnere aut sustinere non potuimus.  
IV. Est earum, quæ nullam merentur excusationem aut  
veniam; quando vel in gratiam aliorum vel ad evitandas  
pœnas, supplicia, aut mortem facinus aliquod admitti-  
mus quod est cum impietate aut scelere conjunctum.

#### XVI.

Si dicendum quod res: non videtur genuina distri-  
butio, sed videtur æquivocationis evolutio: damnosum  
enim aliquod in evitabile exigitur, non verò malum mo-  
rale, ad quod nulla necessitas nos cogere valet, neq; un-  
quam recta ratio loco medii ad finem destinare solet.  
Manifesto igitur eliminantur actiones clas-  
sæ secundæ & quartæ. Neque enim satis gravis necessitas incumbit,  
neque obligatio ad eligendum hæc media. Si sanè explices  
primam classem, potest admitti: Tertia classis non planè  
excludatur, si sub in decoro moraliter malum non in-  
telligatur.

#### XVII.

Lubet ire per status universalissimos Hominis &  
unam



unam ac alteram actionem, mistam extrahere. Duplicem esse saniores statuunt; Naturæ, *Pufend. de J.N. & G. Lib. 2. cap. 2.* quem DEUS per Jus Naturæ tantum dirigit; Subjectionis, quem DEUS per voluntatem etiam Superioris: Resp. pertinent ad statum naturæ & jure reguntur naturæ, quod Gentium vocatur à suo subjecto quod regit: pro duplici hoc statu pugnat duplex Jus, Positivum & naturale. Homo subest tantum DEO, non homini, nisi ei, cui id DEUS commisit jus. Ergò tantum datur duplex regula obligans. Forma legis, præscriptio rectè agenti cum Imperio s. decretum justè obligatorium asseritur à Meisnero *in tract. de LL. Lib. 1. Quest. 3. No. 3. pag. m. 41.* ut itaq; Lex sit, requiritur ille qui habet potestatem jubendi: hanc verò nemo habet nisi DEUS & cui DEUS commisit, *Rom. c. 13. vers. 12.* majestas. Quam dichotomiam probat *Gvil: Grot. in Enchir. de princip. Jur. N. cap. 1. §. xi.* Non igitur nobis cordi est Hug: de Roy *in Lib. 1. de eo quod justum est, tit. 2. No. 2. & 3.* ubi principia juris brutalis recenset brutisq; obtrudit, imò, quod mirum, bonitatem & æquitatem liberaliter concedit. Sed aliud est natura, aliud Jus Naturæ. Ergò non augendus numerus jurium aut statuum. Nihil in homine juris nomine venit, nisi quod informatum rectà ratione, affectus & stimuli naturales non faciunt Jus, sed jus præscribitur illis à recta ratione. Neq; Jo. Frider. Hornio *Archit: Lib. 2. c. 2. §. 6.* nos adducere valet, ut Gentium Jus peculiare à naturæ jure esse credam; definit cit. loc. ita: Gentium Jus est Regula quædam actuum publicorum qui diversis Gentibus, quæ Gens sunt intercedunt, dirigens populorū ad invicem operationes in communem justitiam & omnium, tranquillitatem. Negamus quidem actus Gentium esse sine jure: sed  
sub



sub sunt juri quod regit æquales & modo individua physica,  
modo moralia; hæc cognosce ex unitate voluntatis. Con-  
textus Rerum public. & Sanctimonia Imperantium non  
faciunt novum Jus, sed indicant aliquid esse quod conjun-  
xit vinculo isto & ad id conservandum Leges præscripsit:  
Auctus non est numerus jurium, natis Rebusp. sed auctum  
est objectum juris Naturæ *conf. Not. ad. Horn. Achillis Ep-  
stein. cap. 1. & add. id. pag. m. 133. ad §. 3. Lib. 1. cap. 3. Pufend. de  
Jure N. & Gent. Lib. 2. cap. 3. §. 22.*

XVIII.

Præsupposito, mixtam actionem exigere objectum  
in se parum appetibile, quod tamen tale redditur satis ur-  
gente necessitate, cui inserviendum esse probat recta ra-  
tio: Sine metu bellicos actus ad mixtam actionem refe-  
ro; occidere homines, conculcare Imperantium sceptrâ,  
vastare igne & gladio regiones & homines tractare, ut non  
homines: ad ea non dirigitur noster appetitus à jure na-  
turæ. Sancita est inter homines amicitia & charitas. Ad  
DEI imaginem creatus est homo, DEUS charitas est. Joh.  
cap. 4. vers. 8. ideo ejus imaginem omni vita, omnibus a-  
ctionibus exprimat. Firmat juris naturæ Regula, quod tibi  
vis fieri &c. & de proximi dilectione innata regula. Ma-  
ximè combinat nos communis origo, quam indicat S.  
Script. *conf. Act. Apost. c. 17. v. 26. De quo ortu communi Florē-  
ribus Ethnicus. Jctus. L. s. ff. de Just. & Jur. rectè differit: cū  
inter nos cognationem quandam naturam constituit. Con-  
sequens est, hominem homini insidiari nefas esse. Societas  
enim est inter homines & indoles societatis est tranquilli-  
tas & sanctitas sociorum. Horn. de Subj. Jur. N. cap. 2. §. 6.  
Quamvis ad essentiam Juris non requiratur ut sit societas;  
id tamen verum est, societatem inferri tanquam conse-  
quens*



qvens necessarium per communionem juris. Hâc enim propriè fundatur natura societatis. Immotum est assertum: inter quos est communio juris, inter illos est societas. Societatis jus cognoscis ex fine constituentis. Sed quia homines possunt deponere socialem habitum & sic transire in statum in quo possunt violari, accidit, ut quodlibet in illos liceat: dolosa turbatio societatis & contemptus salutis publicæ ac mediorum eò tendentium exagitat ad bestialem, ut solent loqui, conditionem: Ne igitur inulta sit malitia in detrimentum & interitum societatis, recta ratio permittit severitatem vindictæ, ut desistant turbare communem salutem: Sine hoc rigore non posset subsistere genus humanum. Ergo immineat malum à quo etiam pessima ingenia abhorreant, quod se ament, & metu contineantur in officio qui non amore boni. Gravis igitur necessitas sit & grave delictum vindicandum bello, subsidiario medio, ad quod non facile recurrendum, ordinario & amico superstito. Neq; si ad manus ventum, præfracte armis inhærendum, sed animus socialis redux amice accipiendus sub cautione firma.

### XIX.

Non rarò furor committit singulos, adeò ut sine nece alterius alter evadere nequeat. Hanc eadem intermixtas actiones referre non dubito. Abominabile Delictum homicidium esse extra dubium puto, quod expiari nequit nisi sanguine parricidæ; minatur DEUS severam poenam *Gen. cap. 9. vers. 5. 6. Num. cap. 35. vers. 33.* Sanguinem quoq; animarum vestrarum requiram de manu cunctarum bestiarum & de manu hominis; de manu cujuslibet requiram animam fratris sui. **Q**uicunq; effuderit sanguinem  
C huma-



humanum, illius sanguis effundetur per hominem: quoniam in imaginem DEI fecit DEUS hominem: Adeo cordi est Numini sanctissimo vita hominis, ut sanguinem animæ humanæ requirere velit à bestiis, quæ tamen non dolose & cum intentione possunt interficere hominem. Imò in Israelitica Republ: qui casu occiderat hominem, non erat à poena immunis, nam abire tenebatur in exilium, hæc lege, ut non rediret ante mortem summi Pontificis, & extra Asylum deprehensus à vindice sanguinis impune occidi poterat. *Num: cap. 35. vs. 22.* Igitur res est non appetibilis cædes hominis: attamen potest contingere necessitas urgens ad cædem alterius in casu quo aut mihi a. invasori pereundum est. Ergo demonstrandum quomodo reddatur hoc appetibile & qua ratione mixta actio sit, sine crimine. Omnes uno ore solent pro jure defendendi proferre illud: vim vi repellere licet: nam quod quis ob tutelam corporis facit, jure fecisse existimatur *conf. H: Grot. de J. B. & P. Lib. 1. cap. 2. No. 3.* Si scrutari velis fundamentum invenies in amore sui, quem DEUS indidit hominibus ut servare possent bona animi, corporis, fortunæ. *Hug. de. Roy. cit. loc.* qui rectè ex principio se & sua diligere, defendendi potestatem elicit. (:sed meum non facio quod tribuat brutis nam hic consideramus per modum principij & regulæ non per modum naturæ:) Accedit consensus Gentium moratorum, quarum Legibus insons habetur, qui justè vitam servat & cum pernicie injusti aggressoris. *Hug. Grot. cit: loc. Lib. 1. cap. 3. No. 2. Quod argumentandi Genus probat. Gvil: Grot. in Enchir. de princ. Jur. N. cap. 1. §. 9.* cum moratiores Gentes se quam maximè juri naturali conformant: vinculum sanè nullum est, quod omnes Gentes idem sentire faciat, quam principia nobiscum nata, quæ  
jus



3.  
jus Naturæ constituunt. Quod Jus defendendi non per-  
git, qui invaditur repellendo ictus adversarii: non enim  
hoc sufficit ad defensionem quia non avertit satis, malum  
imminens, invasori enim etiam metus mali inferendo ut  
videatur, majus malum præsens esse, quam bonum est  
quod quærit in offensione alterius. Injustus enim ille co-  
natus invasoris non eximit illi amorem sui, adeò ut metu  
mali nequeat retineri. Ergò ad defensionem plenam perti-  
net quoque; ut liceat cædere ac pungere non animo offen-  
dendi, sed defendendi: offensio permittitur defendendi  
se, non ut talis, sed quatenus juvat & perficit defensionem  
rei quam nequit aliter servare, aut ex circumstantiis colli-  
git probabiliter salvare non posse sine offensione irruen-  
tis. Sed quia in homine temperatur amor sui amore  
proximi, videndum ne defensio fiat cum læsione amoris  
proximi. *Pufend. de J.N. & G. Lib. 2. cap. §. 15. id. in Element.  
Jpr. univers. Lib. 2. obj. 4. §. 4.* Dilectio socii commendatur  
omnibus sed quatenus uterque; in licito versatur statu & so-  
ciali: Regula enim de temperamento amoris sui homi-  
nem perficit, ut rectè se gerat erga socios: qui verò meæ  
vitæ insidias fruit, non socialiter, hostiliter potius se gerit.  
Hoc posito regnat ille amor sui & instruit justè hominem  
contra invadentem injustè. Qui amor sui ne excedat,  
moderamen accipiat à rectâ ratione: quæ exigit justam  
causam defendendi, quam sistit injusta offensio & in actu,  
postulat secundum communem sententiam propulsatio-  
nem ad offensionem proportionatam ne extra necessita-  
tem adeo violento remedio avertamus offensionem; &  
quidem tempore offensionis eaque; durante. Quæ requisita  
passim extant. *Amesius de Consc. Lib. 5. cap. 31. §. 6. requirit,*  
(1) ut aggressio sit propriè dicta & violenta: vis enim sola



debet repelli non quolibet injuria, (2) ut defensio vera & propria sit in ipso actu aggressionis moraliter saltem, si non physicè, non autem præventio, aut insequens vindictio. Si enim invasio ipsa possit declinari, nulla ratio patitur, ut huc usq; descendatur. (3) ut sub specie defensionis nihil fiat quod non est necessarium ad illum finem. Si enim excedat modum aut moderamen, inculpatae tutelæ, non est propriè defensio, sed invasio opposita invasioni. In terminis naturalis status non videtur teneri invasus ad fugam: æqualis est invasor & æquali nequit imperare fugam: imo timiditatis infamiam incurreret apprehensos, & modo probavimus hic valere amorem sui: Igitur Jure naturæ non obligatur ad fugam inhonestam & minus securam sive ex Jure perfecto, sed ex Jure imperfecto ac charitate. His præsuppositis necessitas nos urgere potest ad appetendam hanc defensionem alias non appetibilem.

XX.

Metum stupri præsentissimum quis infert foeminæ, nisi promittat ingentem summam pecuniæ: mista est sine dubio actio. Pecuniam frustra perdere non est appetibile, sed fit tale si respicias redemptionem stupri (quod foeminæ avertere licet etiam cum morte violenti *Grot. de Jure B. & P. Lib. 2. cap. 1. No. 10.* Qui injuriâ, aut, me parat afficere, is eo ipso mihi dat Jus seu facultatem quandam moralem adversus se in infinitum, quatenus aliter malum illud à me arcere nequeo; Quæ Grotii sententia approbanda in hoc casu. Cui subscribit *de Consc. Ames. Lib. 5. cap. 31. §. 8.* Rectè refertur hæc defensio



3.  
sio ad castitatem tuendam: quia pudicitiae inuasor vim  
& violentiam summam infert, cum injuriâ tam atroci &  
tam irrevocabili, ut jure videatur morte adæquari) pecu-  
nia damnum infert reparabile & bonum est subordina-  
tum vitæ ac famæ. Igitur secundum ordinem vectæ ra-  
tionis amittatur potius pecunia quam fama.

XXI.

Restaret jam ire per contractus & societates, & eruere  
mixtarum actionum genera, imo removeere eas, quæ  
sub specie mixtæ actionis hûc referri possunt. Sed  
instituti ratio & modus disputationis hic nos  
subsistere jubent.

S. D. G.





POLITISSIME atque DOCTISSIME  
ETT MÜLLERE,

Amice plurimum honorande,

**D**Um specimen haud vulgaris eruditionis edis in publicum, facis rem expectatione de Te dignissimam. Cum enim haecenus vita honestate, morum probitate atque modestia omnium maxime floureres, nihil restare amplius videbatur, quam ut spatia qua haecenus in re literaria privatim fecisti, manifestares omnibus. Atque ex hinc est, quod de Te non solum jam bene sperare; sed etiam confidere possint Tui, talem futurum, qualem Te haecenus cognitum judicarunt. Gaudebit cum primis & impense letabit Parens Tuus charissimus, senex antiqua virtute & fide, mihi que olim amicissimus, quod vota quod omina de Te concepta felicem jam exitum sortiri incipiant. Gratulor igitur Eidem & ego de filio optimo, Tibi vero, Juvenis Politissime de profectibus hisce egregiis, precatus à Deo, ut Patri quidem charissimo Tuo multas adhuc addat annos in sui de Te oblectationem & propriam Tui utilitatem; Tibi vero valetudinem prosperam largiatur, viresque sufficiat absolvendo studiorum cursui idoneas: quo Ille Te cernat in eo consistere dignitatis gradu, quem Tibi paterno affectu exoptat, & virtus tua atque modestia facile olim merebuntur. Deus Te servet! Dabam ex museo meo die 1. Octobr. 1677.

GODOFREDUS Strauß!  
J. U. D. & P. P.

Acto-



Actorum formas, variasq; revolvete clas-  
ses

Jurisconsulti primum opus atq; labor.

Fontibus ex ipsis hæc, ETTMULLERE, re-  
cludens

En facilem pandis ad tua jura viam.

Rabula, non Jurisprudens mihi dicitur, altâ

Qui prius haud morum dogmata mente  
colit.

In honorem Politissimi  
Dn. Auctoris scrib.

CHRISTIANUS Röhrensee/  
Moral. P. P.



**S**wird uns nichts ohn schwere Müß ge-  
geben.

Man wühlt in Sand und todten Stein/  
Mit höchsten Fleiß / ein bißgen Gold zu heben.

Das Feld muß ganz umbäckert seyn/  
Soll es mit Frucht die frohe Scheune füllen.

America tauscht nicht ihr Gut

Du must erst Sturm und tolle Wellen stillen.

Zum Lorbeer-Kranz kömmt man durch  
Blut.

Auch



Nach kriegt man nicht Verstand durch faulere  
Träumen/

Ein Gotterleuchter Sinn und Fleiß  
Kan unsere Zweig zum Weißheit-Thron auf-  
bäumen

Und führen zu den Sternen-Kreis.  
Er Werthster müht sich umb Austraens Schätzen  
Und braucht hierzu die Sitten-Kunst.  
Man sieht den Fleiß aus diesen flugen Säken.  
Wir wüntschten Glück und Himmel-Gunst.

Hiermit wolten den Hn. Respondenten  
beehren

Ihr. Excell. Hn. D. Strauß  
Tischgenossen.














X2615923

FLCA











B.I.G.

Farbkarte #13

D. B. V.

ONEM MORALEM,  
DE

NE METU

RIS MALI

DITA,

RÆSIDE

I R O

ISSIMO atq; EXCELLENTISSIMO

ANO *Röhrenseer*/

osoph. Prof. Publ.

celeberrimo.

ntilationi submittit

JACOBUS Ettmüller /

Lips.

A. & R.

or. ANNO M DC LXXVII.

ditorio Majori.



TTEBERGÆ,

IANNIS WILCKII.

1677

34.

10